




APOSTROPHE PARÆNETICA AD HUNGARIAM.



* *
*

Luctu obruta ploras Hungaria?
Ploranda esses, nisi hanc haberes plorandi causam.
Penitus interire libuit:
Quòd non licuit,
ploras?
Cæsi sunt è tuis nonnulli.
Digni erant, qui cæderentur, non, qui flerentur:
Occisa eras, nisi cæsuri occisi fuissent.
Putasses Proceres tuos Aquilas:
Sed qui contemto SOLE adorarunt LUNAM,
Pute[illegible] tuas.
Hostiâ Augustus coronis redimitâ.
Facturi inferias, veneficia, magias
Ad LUNAM jurarunt:
Non poterat concipi in Sole, solis Tenebris
Dignum facinus:
Cujus testem
Tenebrarum præsidem legerunt impij Tenebriones.
Sacrilegi!
LUNÆ te devoverunt, quæ nata es SOLI,
Execrabilem facturi Hecatomben,
Nisi impiam Devotionem horruisset ipsa HECATE.
Supplicio affectum luges.

NADASDIUM?

Nisi Cæsar, ipsa debebas cædere,
Generis sui tam Probrum, quàm Cladem:

Qui

Qui gentis suæ Proditor, cujus esse Tutor;
Regni Eversor, cujus debeat esse Conversor.
Dolet
Nobilis Membri à Corpore resectio;
Sed putrescentis & pestilentis est necessaria:
Pereat Pars, Corpus perditura totum.
At Caput, inquis, erat?
Vanum est Corpus, cui abstuleris Caput.
Vah! Dedecus Hungariæ!
Caput fuit,
Sed seditiosorum, impiorum, Rebellium, Perduellium:
Caput Hydræ,
Utinam unum tantùm!
Ne quinquaginta pestilenti fœcunditate subnascentia
Novum fatigarent Herculem.
Hoc Monstrum
Lernam fecit pulcherrimam Patriam.
Caput Regni
Sacratissimus est Cæsar
LEOPOLDUS I. & PRIMUS & VNUS
Eversor Licentiæ, Assertor Libertatis
suo
CONSILIO & INDUSTRIA.
Hunc petierunt totum exanimaturi Corpus;
Illo salvo hoc non periclitatur.
Ast NADASDIUS,
Supremæ Curiæ Judex, in quâ nemo fuit ipso magis reus:
Justè si judicaret, neminem præ se damnaret.
Sed
Qui jus proscribere maluit, quàm præscribere,
Pro Tribunali damnavit.

Justitiam, pietatem, Religionem, fidem,
Agens Virtutis latronem, impietatis lateronem.
Sincerius pro Justitiâ pronunciavit in Sellâ Carnificis,
Quàm in Tribunali Judicis;
Quos in hoc damnavit, absolvit in illâ,
Reus mortis
Sententiâ Cæsaris, magis suâ.
Nunquam hic Judex judicavit æquiùs,
Quàm dum voce ultimâ dixit:
Cæsaris in se Sententiam esse meram Clementiam.
Post hunc non est quem plores.
Kakyus, Tekelus, Barchotzius, Podskaius,
Ejusdem Hydræ Capita:
Quorum alios in scelere occupans Nemesis
Prius raptuit ad divinum,
Quàm ad Tribunal postularentur humanum,
Exitio eò funestiore,
Quòd unà abstulerit Vitam & vitæ Pœnitentiam.
Alij in Exilio longas dant pœnas, alii in Carcere,
Foris Carnificē metuunt, à Cæsare; intus patiuntur à Conscientiâ
Manibus Serinij & Franchipanij
Ipsa debes inferias,
Quod illecebrâ præmii traheris in societatem Flagitij.
Gravis est tibi Miles Germanicus?
Non esset, nisi Gens tua esset levis.
Navis, ne porius ventos sequatur quàm rectorem,
Ferreâ anchorâ est continenda;
Ne leviter hac illac fluctuet,
Oneranda saburrâ;
Mobiles Hungarorum Animi ad res novandas præcipites
Ferreo milite, forti exercitu
Sunt coërcendi.

Verùm

Verùm ademptam defles Libertatem?
Hungariæ Libertas eſt, nimiâ carere Libertate
Servit, cum libera eſt; cum ſervit, dominatur.
Obligare ſe jugo barbaro, paciſci tributa, diriniendam præbere
Tartaro,
Illi Libertas eſt:
Parere Patri Patriæ
Servitus.
An ſervus, qui poteſtate Patris continetur, Filius?
An qui diſciplinâ Præceptoris regitur,
Nobilis Ephebulus?
Febricitantibus meri, Lethargicis ſomni, furioſis gladii fac
poteſtatem,
Omnes occidiſti: ſervaſti, ſi negas.
Ita multorum Salus in ademtâ, Exitium in permiſſâ Libertate
exiſtit.
Periiſti Morbo, quo laboras, Hungaria,
Si nimium es libera.
Tot amputata Regno tuo Membra
Sunt Libertatis furentis Damna.

HÆREDITARIA ES.

Quid Hæreditatem aufers PATRI, Portionem ſubſtantiæ,
Et prodigis in Regione longinqua?
Quid eâ paſcis immunda Animalia
Turcas, Scythas, Dahas, Beſſos,
Dum tu non ſaturaris ſiliquis?
Mercenarij in Domo (AUSTRIACA) Patris tui
abundant.
Tu peris Egeſtate?
Meritò ſervit alienis, cui gravis eſt Libertas in Domo Patris.

 APO-

* * *

APOSTROPHE ALIA.


Abrumpe querelas, Pannonia!
Inter inferias tuorum plaude:
Respirabis, ubi Rebelles tui exspiraverint.
Pro funalibus
Tædas accende nuptiales:
Epithalamium cane

PACI & LIBERTATI:

Quid ploras?
Libertati tuæ strui laqueos arbitraris?
Non falleris omninò.
Laquei sunt sed quibus profuga retrahatur non captivetur Libertas.
Erras,
Si liberam Servitutem servæ postponis Libertati.
Libertatem aucuparis?
Campos Austriacos pete, sed sine laqueis,
sine retibus,
Sub maligno LUNÆ lumine testis.
Scis, quàm FRUSTRA JECERIS RETE ANTE OCULOS
(Quibus de Rege tuo mandavit DEUS)
PENNATORUM.
Hortus eras:
Cur Austri Favoniis iter præclusisti?
Ei, qui Vitâ tibi charior esse debuerat,
Vitam auferre attentâsti;
Quæsitura scilicet Sanguinem,
Quo Anti-Regis Purpuram colorares:
Amens,
Quia contra CONSILIUM & INDUSTRIAM;
Cæca,

Cæca,
Quia ad LUNAM Ottomannicam caligans
DUCATUM abnuisti ARCHIDUCUM,
Hoc nempe adhuc deerat, ut Libertas iter fieret ad Servitutem,
Libertas. Et ne PILEUS amitteretur,
Cæsar. CAPUT periculo exponeretur,
Periculosa & præceps via est, per Scelera ad Libertatem;
Est magnetica vis Tyrannidis: ferum attrahit.
Vereri igitur debueras,
Ne, dum jugum à tuorum cervicibus excutere attentas,
In tuo jugulo ferro luderetur.
Infelix, paucis exceptis, Pannonia!
Formidabas Cæsareas Aquilas:
Liber- An, quia PILEO tuo insidiari illas arbitrabaris?
tati- Errâsti!
Ingredienti Adolescenti adhuc Romam Servio Tullio,
Pileum abripuit Aquila:
Felici augurio:
Servo filio libertatem, Regnum Romanum præsagiit.
Vates Regina Tanaquil.
Perduellis, in Universitatis Formâ, Ungaria!
DEO & Cæsari BELLUM INDIXISTI, fœdifraga,
Te & tuos perditura, dum tueris perfidè;
Æquè impia, seu ames seu oderis,
Libertos faciens è liberis.
Ingemiscis Tranquillitati successisse Fluctus?
Alcyonia in Procellas & Æstus desiisse?
Cur LUNAM mari tuo dominari voluisti?
Nunquam miserior, quàm cum simulatam miseriam fugeres;
Nunquam magis futura serva,
Quàm dum liberimam Servitutem laborares excutere,
Resipisces, ô Pannonia,
Quando, ut libera fias, esse voles tributaria
SOLI, Vene-

Veneficorum Præses est LUNA:
Nunquid te infatuavit ?
Hinc
Venam tibi MEDIAM Viennæ ac Neostadii pertudit Medicus,
Ut resiperes.
Sed macte animis Pannonia !
Ne capitali deinceps laborares Morbo,
Capita tuorum sunt curata,
Tricipiti tuo Geryone ab Imperij Hercule
Exanimato.
Unum cave,
Ne deinceps Lunatica rapiaris ad præcipitia,
Lunaticorum more flagris & cædibus curanda,
LUNAM fuge.



MC